

Dissertatio medica de urinis / [Florianus Gerstmann].

Contributors

Gerstmann, Florianus, active 1622.
Sennert, Daniel, 1572-1637
Universität Wittenberg

Publication/Creation

[Wittenberg] : C. Tham, [1622]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ruxhvaqb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2770

18.

D I S S E R T A T I O
M E D I C A,
De
U R I N I S,

Quam
In celeberrima Septemvirali

ad ALBIM ACADEMIA,

Presidente

VIRO CLARISSIMO, EXCELLEN-
TISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

DN. DANIELE SENNERTO,
MED. DOCT. CELEBERRIMO,
PROF. PUBL. SOLERTISS. FACULTATIS-
que MEDICÆ SENIORE meritiss. Præceptore
suo ætatèm venerando,

Publicè

A M I C A E V E N T I L A T I O N I
subjicit

FLORIANUS GERSTMANN,
Bol. Siles.

*Habebitur in Auditorio MEDICORUM,
horis matutinis,*

ad diem 11. Maji, anni 1622.

ОГЛАВЛЕНИЕ
ДЛЯ АУДИТОРИИ

ПОДГОТОВЛЕННОЕ
ДЛЯ УЧЕБЫ ПО
СИСТЕМЕ КОМПЬЮТЕРНЫХ
АВТОМАТИЗИРОВАННЫХ
СИСТЕМ
ПОДГОТОВЛЕНО
ДЛЯ УЧЕБЫ ПО
СИСТЕМЕ КОМПЬЮТЕРНЫХ
АВТОМАТИЗИРОВАННЫХ
СИСТЕМ

ИНОСТАНТНЫХ

САМОУЧИТЕЛЬНОГО
ПОДГОТОВЛЕНО

ДЛЯ УЧЕБЫ ПО

СИСТЕМ

ДЛЯ УЧЕБЫ ПО

СИСТЕМ

Prooemium.

NIHI certè in totâ Medicinâ tottantisq; difficultatibus ac tricis est implicatum, ac ea doctrina, quæ de Urinis, ut & quæ de Pulsibus agit. Id quod præter Medicos alios quamplurimos ratum facit Laurent. Scholzius Epist. 47. difficultatem rei hujus inibi exaggerans, eâ potissimum de causâ: quod licet Medici optimè has doctrinas norint, nobis tamen vel imponant, ut augures populo Rom. faciebant; vel certè non ita explicent, ut intelligentiam rem obscuram comprehendere liceat. Quare ob dubia quedam ex tanta autorum bac in retum obscuritate, tum discrepantia enata, Urinarum doctrinam publicæ disquisitioni subjicere, eamq; secundum singulas Medicinæ partes perpendere voluimus, sperantes, nos nulli non rem gratam faruos, & si quedam crassâ Minervâ dicta irrepserint, facile apud doctos veniam impetraturos.

A 2 THESES

THESES I.

CUM nihil omnium, quæ ad corporis nostri sustentationem, instauracionemque ejus, quod absumtum est, quotidiè ingeruntur, sincerum planè ac naturæ nostræ exactè respondens inveniatur: sed unum quodlibet ex iis aliquas superfluitates post se relinquat, provida & sagax Natura canales, per quos è corpore tales exturbari debeant, construxit.

II. Ita post primam, quæ in ventriculo fit, coctionem relinquuntur duo excremēta, alterum crassius, alterum tenuius. Crassius è ventriculo ad intestina delatum, postquam aliquandiu ibi substiterit, motu partim naturali partim animali per alvum exturbatur. Tenuius verò usum præstans corpori, dévehendo Chylum ex intestinis ad venas & Epar, aliquandiu in corpore retinetur, donec, ut paulò post dicetur, per canales urinarios excernatur.

III. Eadem & reliquorum coctionum est ratio. Ea enim, quæ in singulis partibus fit, itidem duo relinquunt excrementa, alterum crassum, tenue alterum: quorum utrumq; per angustos cutis meatus partim sensibiliter partim insensibiliter expellitur.

IV. In sanguinis coctione etiam duo generantur excrementa, nimirum bilis & serosi humores, à quibus sanguis, ut purus & ad corpus aliendum idoneus fiat, purgandus est. Itaq; natura vesicam bili excipiendæ dicatam Epati apposuit, ex qua rursum ad intestina demittitur bilis, ut suā acrimoniā vim intestinorum expultricem ad noxiōrum expulsionem stimularet. Serum verò cum aquosâ materiâ ad sanguinem diluendum in venam cavam ablegatur: cujus pars aliqua, statim ac illuc delata fuerit per venas emulgen-

mulgentes à renibus attrahitur, & per Ureteres in vesicam demittitur: pars verò per corporis ambitum unà dispergitur, non solum in venas, sed & arterias: quæ, ubi munere suo satis functa est, remigrat ad venam cavam, & arteriam aortam, hinc renes illud cum portione aliqua sanguinis sibi pro nutrimento necessarii attrahunt, tandemq; illud tanquam inutile ad vesicam propellunt: quo in loco demum propriè urina dici meretur.

V. Nominatur autem hoc excrementum à Græcis ὄρη vel ὄρημα: Lat. Urina: quæ est excrementum serosum & aquosum secundæ coctionis, quod una cum reliquiis nonnullis tertiæ coctionis & aliis humoribus ex venis & arteriis per vasa emulgentia renes proliciunt, & per ureteres in vesicam demittunt.

VI. Ex qua Definitione patet, minus propriè locutum fuisse Plinium, qui urinam etiam pro spermate usurpat, ut, quando dicit, *Urina genitalis*.

VII. Nonnunquam autem hæc intra limites à natura sibi præscriptos continetur, nonnunquam extra eos evagatur.

VIII. Si intra limites à natura positos maneat, in colore sit aurea seu citrina, Topasii colorem referens, qui color indicio est, bilem (sub qua & falsam serosam humiditatem intelligimus) nec nimis calidam, nec nimis copia, quam par erat, generari: In consistentiâ sit mediocris, ita ut nec nimis crassa, nec nimis tenuis, nec turbida, nec oleacea deprehendatur. Talis enim urina coctionem perfectam arguit, ut habet Gal. i. de Crisib. c. 12.

IX. Contentorum (quæ tria numerantur ab autribus, nimirum sedimentum, suspensio & nubecula, quanquam posteriora duo interdum pro uno habeat Hipp.) unum in tali Urina appareat mediocre, æquale, sit continuum sibi & coactum tanquam unum corpus, cuius partes non videntur esse veluti rugis inter se conjunctæ, sit album.

X. Talis quoq; Urina quantitate potui assumto ex asse respondere debet.

XI. Verum, quæ jam de Urina hominis optimè temperati dicta sunt, ea non ad omnes sanorum Urinas applicanda, cum magna sit sanitatis latitudo, & insuper temperamentum, ætas, sexus, anni tempora & alia, quatenus ad hunc vel illum humorem copiosius producendum concurrunt, eam multum variant.

XII. Calidi enim Urinas habent coloratores & tenuiores, & paucioris sedimenti frigidioribus, ideo, quia calor plus procreat bilis & exactius crassas partes elaborat, unde tenuiores evadunt, & sedimenti minus suppeditant.

XIII. Pueri mingunt Urinam albida crassiore, copiosiorisq; sedimeti, eo quod præter nimiam humiditatem, quâ pollent, etiam plurimum cibi ingerant, multasque cruditates coacervent, unde Urina crassior fit, habetq; multum sedimenti.

XIV. Juvenes reddunt Urinas tenuiores, coloratores & paucioris sedimenti, ob calorem acriorem, qui partes magis attenuat, bilem, huicq; cognatos humores gignit, & crudos succos diligentius elaborat.

XV. Senes cimitunt Urinas albas, tenues & sine contentis. Verum, si in talibus debilitati caloris accedat insuper error in victu, cruditates cumulant, quæ Urinas crassiores cum multo sedimento gignūt.

XVI. Virorum Urinæ sunt coloratores, tenuiores, & pauciora habent contenta: præcipuè quia calor eorum est auctior, qui etiam laboribus, quibus exercentur, magis intenditur. Fœminæ vero contrarias emittunt Urinas, ob causas prioribus contrarias, & præterea, quod plerumq; aliquid ex utero Urinis earum misceatur.

XVII. Anni quoque tempora, cœli status, labores, somnus & vigilia tantum Urinas variant, quantum nativum calorem ab optimo suo statu dejiciunt.

XVIII. Si Urina limites naturales excedat, variè variorum morborū & symptomatum causa existit.

XIX. Et quidem morbos inducit, dum vel suopte vel alieno vitio qualitate peccat, vel non justâ quantitate excernitur.

XX. Qualitate peccat, & quidem proprio vitio, dum Urina acrior, quam justum erat, evadit, ut partes erodat: idque interdum per Crisin tum acutarum & diutinarum febrium, tum partium aliarum affectarum.

XXI. Alieno vitio, ut quando vel nimio coitu, vel morbo vel medicamento exaruit glandula ad radicem penis collocata, cuius veluti oleo naturali solet perungi fistula urinaria, quo ab injuriis Urinæ quantumvis naturaliter constitutæ defenditur: vel quando loco illius humiditatis naturalis exinde virulenta quædam materia effunditur, quæ Urinæ ardorem producit.

XXII.

X X I I. Quo facto ulcera inducuntur partibus, quas
præterlabitur urina, perniciosissimæ, quin & sæpe
maligna, adeo, ut locus ab extra etiam nigro colo-
re tingatur.

X X I I I. Quantitate peccat Urina, dum vel excedit,
vel deficit. Dum excedit propter humorum tenui-
tatem & corporis raritatem, subitam ejus extenua-
tionem inducit, ut habet Gal. comm. in aph. 28. S. 2.

X X I V. Interdum in abdomen exstilla vel exfudat
materia Urinæ, & oritur Ascites.

X X V. Nec raro Urina præter naturæ cursum diu-
tius in corpore retenta Intemp. procreat; cum hu-
mores diutius alicubi retenti qualitates quas ha-
bent, corpori communicent.

X X VI. Symptomata verò inducit, quatenus pec-
cat vel secundum substantiam, vel qualitatem, vel
quantitatem, vel excretionis modum & tempus.

X X V I I. Duas idcirco potissimum symptomatum
species generat Urina, nimirum primam, scilicet
actionum læsarum, quatenus peccat tempore & mo-
do excernendi, & tertiam scilicet quam in excretis
vocant quatenus peccat vel secundum substantiam
vel qualitatem vel quantitatem.

X X V I I I. Tempore exeundi peccans Urina facit
involuntarium Urinæ exitum; idq; vel ob Urinæ ar-
dorem, vel læsionem musculi vesicam claudentis
tum à frigore, tum alia noxa nervis ad hunc tenden-
tibus illata: cuius rei exempla habet Schenckius l. 3.
obs. & Scaliger Exerc. 344. S. 6. altcrius meminit, qui
audito Phormingis sonitu illico Urinam facere coa-
ctus fuerit: causam ejus rei peculiarem loco dicto
adducit.

X X I X,

XXIX. Modo exeiundi peccat dum per alias quam
naturę consuetas vias evacuatur: ut quando refecte:
Platero Tom.3.pag.836.cuidam ob inflictum vulnus
Urina per inguina exivit, vel ob obstructos meatus u-
rinarios teste Benevenio de Abd: morb: cap.7.Mar.
Donato lib.4.Hist.Med.mirabil. per anum evacuata
fuit: vel quando formosissimæ cuidam puellæ at-
stante eodem Mar. Don. potus ea copia & colore,
quo assumptus erat per p̄cordia exudavit: vel te-
ste Platero cuidam puellæ annos 13. natæ Urina per
aures exivit.

XXX. Quantitate Symptomatica evadit Urina,
quando rursum vel justam quantitatem excedit, vel
in ea deficit.

XXXI. Justam quantitatem Urina excessit in eo,
cujus meminit Guil.Adolph.Scribonius libel:de Ur.
insp: qui vix quadrantem bibisset, & tamen singulis
diebus 4. vel 5. cantharos Urinæ excreverit: Et in
puella cuius mentionem facit Cardan.lib. 8.de var.
cap. 44. quæ plus Urinæ intra dies aliquot emiserit,
quam ipsa ponderaret.

XXXII. In quāitate verò defecit in Moniali qua-
dam cui Medico vocato, ad propulsanda Sympto-
mata melancholica, quæ ex spectrorum contitu-
contraxerat, Urina suppressa est, ita ut per menses 6.
nihil Urinæ excreverit.

XXXIII. Omnino supprimitur Urina vel vacuâ
vesicâ vel eādem plenâ. Dum vacua vesica suppri-
mitur, argumentum est, Urinam non transire ad ve-
sicam, ob vitium vel in ureteribus, vel renibus, vel
crassioribus intestinis.

X X X I V. Plepâ vesicâ suppressit Vrina vel à causis Internis, vel Externis. Interna causa est morbos affectio ipsius vesicæ. Externæ sunt negligentes menjendi occasionem: ut convivia, urgentia negotia, conciones &c.

X X X V. Et hisce modis retenita Vrina sœpius retrocedit ad partes penitiores ibiq; Epilepsiam, Comam, & alia sœva sympt. excitat.

X X X VI. In substantia & qualitate symptomatica redditur Vrina, vel quando secundum consistentiam, vel secundum colorem, vel secundum odorem, vel secundum contentorum rationem, à naturalista recedit.

X X X VII. In consistentia Vrina symptomatica est vel crassa nimis, vel nimis tenuis: utraq; vel clara, vel turbulentæ, vel olacea.

X X X I X. Crassa est, quæ multum serosæ humiditatis aut aliorum etiam humorum admistum continet: Tenuis verò, quæ ferè ex aquosa & potulenta materia constat: Serosi verò, & falsi illius, quod in Epate & venis secernitur, vel etiam alterius humoris nihil aut parvum admistum habet.

X X X I X. Vrina clara est, quam visus nostri acies penetrare potest: Turbida verò quæ visus nostrum penetrare non sinit.

X L. Turbulentæ Vrinæ, vel claræ minguntur, & postea vel per se, vel ab externo frigore turbantur, atq; à calore externo splendorem pristinum recipiunt: vel turbulentæ excernuntur, atq; à calore externo splendorem non accipiunt, sed sponte sub silentibus partibus crassioribus postea clarescunt: vel turbidæ minguntur, & neq; externo calore clariores

res evadunt, neq; etiam sponte crassas partes depo-
nunt: tales Vrinas vulgo confusas vocant.

XLI. Oleaceæ (primi generis) sunt, quæ et si non sunt
pingues, oleum tamen substantia & colore referunt.

XLI. Differentiæ in colore, et si à diversis autori-
bus diversæ, eaq; quamplurimæ, circumferuntur,
nobis tamen eas ad angustos cancellos redigere pla-
cket, cum illi, qui has exactè noverit, reliquæ inventu-
& judicatu non fuerint difficiles.

XLIII. Sex autem potissimum differentias princi-
pales in colore Vrinarum constituemus 1. Est albus
ad quem referuntur, aquosus, Crystallinus, lacteus.
2. Est pallidus, qualis in ochra peculiari terræ gene-
re conspicitur, qui comprehendit & suppallidam:
3. Flammeus, qui apparet in vitro, & igne ardente &
clarè lucente, comprehenditurq; sub eo subigneus
seu subfulvus. 4. Flavus, qui nitidior, & splendidior
aliquantulum est priore, habetq; hæc differentia et-
jam suos, quibus rursus distinguatur, gradus; 5. Est
color rubeus, cuius quatuor sunt gradus; 1. color di-
lute rubeus in capillis, qui russi appellantur, appa-
reens 2. roseus, qui in rotis conspicitur. 3. purpureus
ac sanguineus. Huc pertinet & Vrina vinea ut & pas-
sea. 6. Est niger, sub quo iterum viridis, lividus, ater
&c. comprehenduntur.

XLIV. Secundum contenta deniq; Vrina fit sympto-
matica 1. si planè illis destituatur. 2. si forte alieno
quam albo colore tincta reperiantur. 3. si substantia
eorum sit divulsa, disrupta, nec continua & levis.

XLV. Præter dicta contenta etiam alia in Urinis
conspiciuntur liquori inhærentia: & vel in fundo, ut
farinacea sedimenta, parti farinæ crassiori, quæ exa-

ctiorem molæ confectionem fugit, similia: foliacea,
folii longitudinem, & latitudinem referentia: furfu-
racea, furfuribus tritici bene moliti respondentia:
pus, vermes, grumi sanguinis, arenulæ, calculi, carun-
culæ: vel in medio, quæ nunc sursum nunc deorsum
vergunt, ut sunt pili, filamenta, & corpuscula ato-
mis similia, materia item tartarum referens, colore
variegata parietibus matulæ adhærens: vel in super-
ficie, ut pinguedo, nunc parcus nunc copiosius pun-
ctatim Urinæ supernatans; filamenta telis aranearū
similia: bullæ similes illis, quæ in aqua fervente cō-
spiciuntur, & nunc in una nunc in pluribus superficieï
partibus consistunt: Spuma, quæ etiam post excre-
tionem aliquandiu in Urina permanet; Corona, quæ
maximè appetit, cum externæ partes, quæ liquoris
superficies, & circumferentia sunt, alio colore tin-
guntur, quam reliquus humor.

X L V I. Differentias Urinarum in statu ægro con-
stitutorum hactenùs habuimus: Tempestivum jam
erat, ut causas talium Urinarum solùm proponere-
mus. Verum cum Urina ad signa, tam diagnostica,
quam prognostica referatur, & casus nihil sint aliud,
quam id quod ex Urina cognoscere cupimus, semio-
ticā hīc trademus, hac methodo etiam in eausarum
notitiam deventuri.

X L V I I. Hoc loco cautiones quædam adhibendæ
ut scil. videamus: 1. ne differentiae Urinarum diverse
proveniant à causa aliqua procatarctica, aut potu &
assumptis, aut alia ex sex rebus non naturalibus. 2. Ne
Urina aliqua talis, vel talis evadat ex vicio ductuum,
per quos Urina colatur. 3. Ut morbi sint in venis: quia
in his magnam habet Urina significationem, licet in
aliis;

aliis non sit contemnienda. 4. Ne sit febris pestilens: quia haec solet urinas aliquando naturalibus similes effundere. X L V I I I. Itaq; cuivis pateat, urinam quocunque modo à naturali statu recedat, esse mali omnis indicium, juxta aphoris. 63. sect. 7. X L I X. Si quantitatem excedat à natura sanctam, nisi plurima humiditatem subministrantia aut Diuretica assumptra, aut consueta corporis exercitia intermissa fuerint, significat renum intemperiem calidam & siccum, ut in diabeto: vel sentinam aut colluviem aliquam talium humorum latenter, nisi talis excretio fuerit critico modo facta. L I V. Prænunciata talis Urinæ superfluitas subitam corporis extenuationem, qualem observavit, Fernelius lib. 6. Patholog: cap. 13. sed quæ critica est, accidit cum à Phœnix ægri, unde anasarcam ita solvi author est Laur: Joubert: cap. 13. de Urinis: Convulsionem linguaeque paralysin ita terminari scribit Hipp: in Coacis. L I. Si in quantitate deficiat Urina indicat i. præsentiam alicujus rei materiam hanc absumētis, quod in febribus ardētibus & nimio motu fieri solet. Urinæ ad alium locum conversionem, ut in hydrope: 3. Vasorum angustiam seu obstructionē, vel à tuberculo adnato, vel ab humoribus crassis ibi hærentibus, vel deniq; à calculo. 4. Secreticis vel excreticis imbecillitatē. L I I. Talis Urinæ interceptio bñinis mala: siquidem Hipp: in Coacis Urinas suppressas mala: & convulsorias prolungat, & Urinæ hisce modis suppressæ malum portendunt secundum Varandæum in Prognost. Med. cap. 13.

LIII. Quibus Vrina præter voluntatem effluit, & si fiat in non recordantibus, perniciosa censetur, Hipp. l. i. prorhet. t. 28. cum fiat vel ob laxationem musculari sphincteris, vel ob faci attracticem supra modum auctam, vel ob copiam fecum in intestinis, vel ob apostemata in membris supra vesicam eam.

coarctantia. LIV. Foetorem contrahunt Vrinæ 1. ex putredine ut in febribus malignis, & iis, in quibus est magna putredo. 2. ex diuturniore in vesica retentione. 3. ex assumtis, quæ facile alterantur, multosq; secum humores trahunt, a quibus Vrina odorem acquirit. 4. ex coctione minus bona.

LV. Bonum odorem in Vrinis a causis internis vix expectare possimus, nisi quadam externa quæ difficulter mutantur & paucam secum materiam trahant, eamque talem, quæ non habeat vim Vrinæ malum odorem conciliandi, assumpta fuerint.

LVII. Vrinæ nihil olentes profiscuntur a caloris nativi debilitate coctionisque imminutione, unde excrementitii humores Vrinæ non permiscentur, sed aqua ferè saltem, & seri portio excernitur. Tales autem Vrinæ mala sunt, præsertim in febribus acutis.

LVIII. i Vrinæ bonum odorem spirantes cum solummodo profiscuntur a causa externa nihil singulare protendunt.

LIX. Malè vcrò olentes ob causas modo dictas sunt perniciossimæ, præsertim si fuerint nigre.

LX. Crassæ Vrinæ evadunt 1. ob crudorum crassorumq; humorum in venis copiam qui a reliquis jam secernuntur & a natura per has vias expelluntur.

2. ob apertam obstructionem, aut ruptum, abscessum in liene, Epate vel aliis partibus. 3. ob meatus satis patentes, quos crassior materia facilius pertransire possit.

LX. Tenues verò sunt Vrinæ. 1. Ex coctionis tum. ventriculi, tum Epatis, & venosi generis imbecillitate. 2. ex vasorum, quæ tranant, angustia. 3. ex renum intemperie frigida. 4. ex materia in aliam locum conversione.

LXI. Si Vrina crassa in morborum principiis reddatur, indicat magnam crassorum humorum in venis copiam, & ob id morbi longitudinem portendit: si verò in principio fuerit tenuis, & postea crassescat, triumphum naturæ canit: ideoq; per hanc crises sunt quam plurimæ.

LXII. Vrinæ tenues nihil criticum, nihil salutare indicant: quia ejusmodi tenuitas caloris imbecillitatem arguit, qui non potest materiam ad pepasnum, mediocriter inpassando perducere, tumq; alba & aquosa ut plurimum existit.

LXIII. Vrina tenuis in febri ardente pessima Hipp. in Coacis, in pueris exitiosissima 2. præ sag. Comm. 331

LXIV. Vrina clara dependet à coloris nostri legitima & naturali constitutione, qui non solum alimenta optimè elaborat, sed & excrements ad optimas, quas quidem recipere possunt, qualitates reducit.

LXV. At turbida à calore minus recte coquente, sed potius omnia turbante, & confundente dicitur.

LXVI. Itaq; Urina, quæ clara mingitur, & postea turbatur, si à sano talis reddatur, indicat, etum ab optimo sanitatis tramite deflectere, & in morbo, præcipue febribus, incidere posse: si ab ægro, significat quidem aliquam materię coctionem, verum majorem

rem

rem adhuc caloris præternaturalis, & materiae crudæ copiam. In tali tamen constitutione nō soli claritati innitendum, indeq; judicium petendum, sed alia conferenda nimirum quantitas, consistentia, color, & alia, quæ si rectè sese habcant, etiam claritatem melius quid pretendere, constat.

L X V I I. Melior censetur Urina, quæ turbida mingitur, & postea clarescit. Indicat enim fervorem, qui Urinam confundebat, jam cessare, vel calorem in Urina etiam excreta ulterius operari, ut ad formam naturalis Urinæ reducatur.

L X V I I I. Pessimæ sunt, quæ neq; sponte, neq; calore externo partes crassiores deponunt, præsertim si post principium morbi tales appareant: innuunt namq; tales calorem præternaturalem materiam agitantem augeri.

L X I X. Urina Oleacea si in principio appareat malum ominatur, cum denotet abundantiam humorum pessimorum: si verò post, melior habetur: indicat enim tum coctionem, & robur naturæ noxia è corpore pellens.

L X X. Alba Urina fit, vel ex defectu alicujus rei, vel ob admisionem alicujus rei. Alba seu aquosa Urina primi generis, indicat 1. Caloris nativi imbecillitatem, 2. Diversiōnem materiae Urinam tingentis, ei aliás admixtæ, ad alia loca, 3. potus ingesti copiam & caliditatem renū ac Epatis, 4. Calculum in renibus vel vesica. Alterius generis Urinæ fiunt tales ob substantiæ alicujus albæ admisionem, sive sit pituita, sive semen, sive pus, sive lac è mammis. *Laur. in Anat. pag. 102. sive aliud quid.*

L X X I. Urina alba præsertim cum tenuitate in delirantibus mala *Hipp. Aphor. 72.* & nullum cuni ejusmodi

modi Urina servatum esse testatur *Hipp. in Coac. Roderic. à Fonseca Comm. in Prog. Hipp.* fol 82 dicit, tales Urinas in pueris esse pessimas.

LXXXII. Pallidus color oritur, quando bilis pallida vel flava, eaq; in exigua quantitate liquori admiscetur, qui color etiam pro bilis admistæ copia intenditur, vel remittitur.

LXXXIII. Pallida Urina priore est melior (videndum tamen an forsan à quibusdam externis ita tincta fuerit) quia licet mancam adhuc & inchoatam saltem concoctionem significet, major tamen ea est, quam erat in alba.

LXXXIV. Flamma fit à calore ad temperatum proprius accedente, & indicat talis Urina coctionis non adeò magnam læsionem.

LXXXV. Flava, aliis crocea, fit ab intensa caliditate Epatis, aut aliarum partium, & excedentis coctionis signum existit.

LXXXVI. Rubea proficiscitur vel à sanguine, vel à bile rubra admixta: Si eum qui à sanguinis admisso ne oritur discernere velis, ab eo, qui à bile, pro signo distinctivo habebis splendorem, si enim splendeat, à bile, sin minus à sanguine eum provenisse judicabis.

LXXXVII. Nigra ortum dicit 1. ab obstructione soluta in splene. 2. à bilis atræ in sufficiente quant: commixtione. 3. à caloris nativi in partibus extincione.

LXXXVIII. Primi generis Urinæ nigræ non adeò malè censentur, cum evacuetur per eas id, quod alias naturæ oneri erat futurum, qualis nuper in puello quodam h̄ic loci observata est. Pejores sunt secundi generis cum intensissimum caloris gradum sequantur

tur : pessimæ sunt ultimi generis, & à Gal. i. de Cris. c. 5.
pro lethalibus habentur.

LXXXIX. Post nigras oleosæ (quæ oriuntur ex humorum excrementitiorum tales colorem referentium admistione) pessimæ sunt.

LXXX. Ex contentis primum locum sibi vendicat sedimentum, quod in præternaturali constitutione provenit, interdum à succo quodam crudo, qui ob principium in seipso latens, neq; in sanguinem, neq; bilem, neq; pituitam, neque melancholicam mutari potest, admotis tamen humoribus quibusdam excrementitiis: interdum à solis hisce humoribus præter naturam in corpore coacervatis.

LXXXI. Urina quæ habet subsidentum albam, levem & æqualem per totum tempus usque ad judicationem optima est.

LXXXII. Urina quæ subsidentiam habet levem, & albam, sed ex intervallis diuturnior est, quam prima & mihius secura.

LXXXIII. Urina subruba cum simili sedimento & levi diuturnior est, sed valde salutaris.

LXXXIV. Enæorema easdem quas sedimentum causas habet, nisi quod interdum secundum materiæ conditiones & caloris gradum ab eo differat, qui crudum hunc succum tardius fecernat & justo tardius ad fundum propellat.

LXXXV. Urinæ Enæorema pravum delirium interdum significat.

LXXXVI. Nubecula etiam sub iisdem causis comprehenditur, quibus sedimentum & suspensio: majoris tamen adhuc quam reliqua duo cruditatis nunciæ est, hincq; minus fida, quam hypostasis, & Enæorema censetur.

LXXXVII. Quibus nubecula rubra quarto die in
Urina apparet, illis septimo expectanda crisis: 4.
aph. 71.

LXXXVIII. In feb. erraticis nubecula nigra indicat
quartanam futuram *Hipp. in Coac.*

LXXXIX. De Colore contentorum idem est judi-
cium quod fuit de coloribus liquoris supra relatum.
xc. De Corona in Urinis nos missis aliorum op-
inionibus Fernelii sententiam ut probabiliorem re-
tinemus, qui statuit; Coronam hanc docere, qualis
in vasis majoribus sanguis habeatur. Nam tenuem
& albam dilutum sanguinem & sero tenui perfusum
ostendere: crassam & albam, pituitoso: citrinam,
naturalem, croceam, bile multâ, eâq; flavâ consper-
sum: rubram, ardente fervidum & accensum: vi-
ridem bile prassina & æruginosa: cœruleam & livi-
dam vel naturali melancholia vel atra bile inquina-
tum.

xci. Sedimenta in Urinis febricitantium, quæ
crassioris farinæ speciem referunt, talia fiunt ob cras-
siorem sanguinis partem, quasi torrefactam, & talia
diuturnam fore ægritudinem significant. *Hipp. 7. Ap-
phor. 31.* Veletiam exitialem, ut idem confirmat du-
abus historiis *l. & 3. Epid.*

xcii. Sedimenta furfuracea, & foliacea à vesica
ulcerata proveniunt; ideoq; hæc duo *Hipp. 2. Prog.
t. 28.* ut pessima proponit, cùm in morbis acutis & fe-
brib. talem indicent caliditatem, & humorum acri-
moniam, quæ possit etiam brevi temporis spatio,
ipsam vesicam ulcerosam reddere.

xciii. Puris causa est ulcus renum, Epatis, vesicæ,
Ureterum, thoracis, & aliarum partium: caryunculæ

in Urina renūm substantiam ulceratam esse docent : grumi sanguinis, ruptum vel hians aliquod vas in partibus, per quas transit Urina, significant.

X C I V. Vermes ex materia sordida & corrupta ortum trahunt.

X C V. Arenulæ proficiscuntur ex materia crassâ viscosa, & fœculenta, quæ nec à frigore, nec à calore concreseat, sed in seipso internum coagulationis principium foveat : Et tales non vesicæ solum, sed & renūm calculos detegunt : renūm quidem ut Fern. docet, si rubræ ; vesicæ verò, si albæ fuerint.

X C VI. Pili vel filamenta in omnibus omnino corporis partibus generari, & inde per Urinam excerni possunt, indicantque materiam aliquam lentam & pituitosam alicubi inhærere, ut author est *Hipp. 4. Aphor. 76.*

X C VII. Pinguedo Urinæ supernatans producitur vel à colliquatione per calorem facta, vel ab epoto oleo. Prior quidem pejor est, quia indicat consumptionem corporis ut est apud *Hipp. 2. Prog. t. 35.* Posterior verò non adeo prava: sed nec hæc nimis tutæ, cum arguat caloris debilitatē, qui nequeat oleum assumptum alterare, sed tale, quale assumptum erat iterum permittat exire.

X C VIII. Bullæ & Spuma flatus in materia tenaci præsentes arguit, ac prout diutius durant vel citius pereunt, materiæ visciditatem vel tenuitatem denotant.

X C IX. Docuimus hactenus, quæ sit sanorum, quæ item ægrorum Urinæ constitutio, paucis jam quomodo illa in naturali statu conservari possit quoque proponimus.

C. Qui-

C. Quicunque ergo Urinam in naturali suo statu conservare cupit.

1. Viter nimium potulentorum & diureticorum usum.

2. Primam, secundam & tertiam coctionem saram teatamq; conferret.

3. Intemperata omnia fugiat.

4. A durioribus & difficulter mutationem suscipientibus abstineat.

5. Studeat vasorum naturali amplitudini.

6. In mingēdo statum, & à naturā præscriptum tempus observet, quantum quidem per honestatem licuerit.

7. Motus quo se exerceat sit moderatus.

8. Somnus & Vigiliæ naturaliter se habeant.

9. Ordinem in assumendis observet.

10. A nimiis aninti motibus sibi caveat.

C I. Nisi ergo quisquam affectus supra in pathologicis relatos, & alios quam plurimos incurrere voluerit, hisce præscriptis legibus arcte se alligatum putet, quas non nisi hostis sibi ipsi infensissimus violare audet.

C II. Urinæ quaterius morbos & symptomata diversa excitat, Medicum ad hujus vel illius aversionē invitat: ad quod opus perficiendum methodus ex speciali cuiuslibet affectus tractatione petenda.

C III. Quod si evacuatio per Urinam instituenda sit, facile vires talem laturas existimamus, modò vindendum, ne magna sit materiae educendæ copia, cum ea ad vias angustas delata facile obstruat, & ita sibi, aliisq; transitum intercludat.

C V. Tempus hanc administrandi non est morbi principium, quo plerumque materia adhuc copio-
sior est; sed satius est differre hæc medicamenta, do-
nec materia non nihil imminuta sit.

C VI. Tandem sciendum usum Urinæ humanæ in Medicina esse celebratissimum. Cruda enim epotæ est diuretica: à peste præservat: foris applicata ophthalmiam, psoram, herpes, ulcera manantia, præsertim achores curat: menses movet: sanat cœ-
cliacos, colicos, utilis est & febribus omnibus.

Collyrium.

R^x Aq. Euphrag. 3v.

fœnic. 3ij.

Chelidon. min. 3j.

Sal. Urinæ 3j.

Croci metallor. 3ij. Linteo in quo ligatum sit succi-
num alb. & huic liquori intincto oculi ophthalmia laboran-
tium abstergantur.

Balsam. ex Urina præservans à peste.

R^x Sal. Urinæ volat. 3fl.

Ol. Angelicæ 3j.

Extr. Angelic. 3iiij. F. s. a. balsamus.

C VII. Plures qui desiderat Urinæ effectus, de iis consulat comm. Hieron. Reusneri in lib. Jodoci Willich. de Urin., quorum quamplurimos in fine ejus libri adjecit.

F I N I S.



